

& dolent super omnia facinora quæ fiunt in medio eorum. Et in his dixit ad audientem: Ite post eum in ciuitatem & concidite, & nolite parcere oculis uestris, & ne misereamini senioris aut iuuenis aut uirginis, & paruulos & mulieres interficite omnes ut perdeantur. Omnes autem super quos est Tau signum ne accesseritis, & à sanctis meis incipite. Huius autem signi sacramentum uarijs modis prædicatum est, in quo uita hominibus præstruebatur, in quo Iudæi non essent credituri. sicut Moyses ante nunciabat in Exodo dicēs: Eijciemini de terra in qua introibitis, & in nationibus illis non eritis in requiem. Et non erit stabilitas uestigij pedis tui, & dabit tibi deus cor tædians, & tabescentem animam, & oculos deficientes, ut non uideant, & erit uita tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes uitæ tuæ. Itaq; quoniam impleta est prophetia per aduentum eius, id est per natiuitatem, quam supra memorauimus, & passionem quam euidenter ediximus, propterea & Daniel signari uisionem & propheten dicebat, quoniã **CHRISTVS** est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro erant de eo nunciata: post enim aduentum eius & passionem ipsius iam non uisio, neq; prophetes. Vnde firmissime dicit aduentum eius signare uisum & prophetiam. Itaq; ostendentes & numerum annorum, & tempus **LXII**, & dimidiæ hebdomadarum adimpletarum, probauimus tunc uenisse **CHRISTVM**, id est natum, & quatuor & dimidiæ hebdomadarum, quæ sunt subdiuisæ in abscisionem priorum hebdomadarum, intra quæ tempora passum ostendimus **CHRISTVM**, atq; ita **LXX** hebdomadibus conclusis, & ciuitate exterminata, & sacrificium & unctionem, exinde cessare. Sufficit huc usq; de his interim ordinem **CHRISTI** decurrisse, quod talis probatur qualis adnunciabatur, etiam ex ista consonantia scripturarum, qua ex præiudicio maioris partis, aduersum Iudæos, elocuti sumus. Neq; enim in dubium deducant uel negent, quæ scripta proferimus: ut ex hoc quoq; paria esse scripturis diuinis negare non possint: ut quæ post **CHRISTVM** futura præcænebantur adimpleta cognoscantur, nisi ille uenisset post quem habebant expungi quæ nunciabantur, quæ completa sunt etiam probarentur.

ITEM DE CLARITATE GENTIVM IN CHRISTO IESV.



Spicite uniuerfas nationes, de uoragine erroris hunani, exinde emergētes ad dominum deum creatorem & **CHRISTVM** eius. Et si audes negare prophetatum, statim tibi promissio patris occurrit in Psalmis dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Nec poteris eum Dauid filium dicere, quam **CHRISTVM**: aut terminos terræ Dauid potius promissos, qui intra unicam Iudæam regnauit, quam **CHRISTO**, qui totum iam orbem euangelij sui fide cepit, sicut per Esaiam dicit: Ecce dedi te in dispositionem generis mei in lucem gentium, ut aperias oculos cæcorum utiq; errantium, exsoluere de uinculis uinctos,

m 2 id est